

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3176

Auteur(s) : Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

Bénéficiaire(s) : Saint-Évrout-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1119, juin-1171, 30 juin]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par le comte Guillaume des donations faites à l'abbé et aux moines de Saint-Évrout.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° LXXIV, p. 110-112.

Dissertation critique

Entre la remise au comte Guillaume de l'héritage de son père en juin 1119 et la mort dudit comte (BRUNEL, p. 109, n. 1).

Texte établi d'après a

Willelmus, comes Pontivi, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit in Domino salutem. Noverit universitas vestra me, pro salute anime mee et omnium antecessorum meorum, concessisse et hac presenti carta mea confirmasse abbati et monachis Sancti Ebrulfi quicquid modo habent in tota terra mea vel temporibus futuris habituri sunt, tam de donis antecessorum meorum, Rogeri de Monte Gomeri, avi mei, et aliorum, quam de donis fidelium hominum nostrorum, in perpetuam liberam et quietam elemosinam, ab omni terreno servitio, talliis, auxiliis, carragiis, minagiis, fossagiis, avenagiis, gardis, relevamentis, et omnibus aliis terrenis distractionibus et servitiis ad me et ad heredes meos pertinentibus, in quibus ista propriis exprimenda duxi vocabulis : LX videlicet solidos andegavensium ad luminare ecclesie Sancti Ebrulfi annuatim percipiendos secunda dominica Quadragesime apud Alenc[onium] in reddito meo de feria ejusdem ville, et quitantiam passagii, et thelonei et omnium consuetudinum totius victus et vestitus, et omnium rerum que affidari poterunt esse eorum abbatis et monachorum, et omnium hominum qui de proprio eorum pane vivunt, et quitantiam pasnagii et herbagii omnium porcorum eorumdem monachorum in forestis meis de Scopis, de Bursa, de Blavo et de Personia, et monachis et aliis custodibus domus Sancti Martini de Altaripa quitantiam pasnagii et herbagii in predictis forestis, et calfagium predictae domui et custodibus ipsius de mortuo bosco absque liberatione, et herbergagium per forestariorum liberationem, et calfagium, et omnem quitantiam in predictis forestis omnibus hominibus in terris ejusdem manerii manentibus pro annuo reddito trium denariorum de forestagio in festo sancti Remigii et unius galline et unius panis de denario ad Nathale Domini et quinque denariorum de bonteia forestariorum ad Pascha, redditum istum reddent tantum illi qui in predictas forestas ibunt pro calfagio suo et herbagio, alii vero non, et in medietaria de Bec habebunt forestarii unam minam frumenti, dum in ea residens fuerit medietarius monachorum, alioquin non, et aliam minam similiter in medietaria de Harunneria, et unum quarterium in feodos Gondinnorum, et ita quieti

erunt supradicti homines et medietarie et liberi ab omnibus aliis servitiis et corveis et aliis quibuslibet terrenis exactionibus, nec poterunt colligi supradicti redditus a forestariis sine monachis vel eorum procuratore. Concedo et confirmo eisdem monachis de donis Willelmi Pantol et successorum ejus et hominum, ad petitionem Willelmi, nepotis ipsius, prioratum Sancti Petri de Nor[on] cum hominibus, terris et pratis et nemoribus et aliis pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Cirici cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis, et medietatem molendini ejusdem ville cum tota molta de dominio ipsius Willelmi et heredum ejus et hominum suorum de eadem villa, et totum aqueductum, et terram adjacentem usque ad Platam Rocam et ultra, quantum durat feodum de Nor[on], de dono Philippi Pantol in presentia mea facto, et totum molendinum de Hemet, et unam vavassoriam ad Fossas, apud Auberi Pantol, duas partes decime de feodo ejusdem Willelmi et terras et homines in eadem villa, apud Besseriam, decimam de feodo Nonete, ecclesiam de Esmevilla cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis, et homines plures in eadem villa, in villa que Pirus dicitur, quasdam decimas, apud Buras, et alibi super Divam, tres piscarias. Concedo enim supradictis monachis, ad petitionem Reginaldi de Baillolio, de donis ejus et antecessorum suorum, totam decimam molendinorum de Baill[olio], et molendini de Freneio, et totam decimam censuum et regardorum earumdem villarum, et decimam denariorum et gallinarum de bosco de Baill[olio], et totam decimam de venditione et agricultura ejusdem bosci, si aliquid ex eo venditum fuerit aut cultum, et decimam panis de domo ipsius Rogeri et heredum suorum, excepto illo pane qui de blado fiet supradictorum molendinorum. Concedo etiam et confirmo memoratis monachis de donis Geroianorum et domini ejusdem ville ecclesiam de Radon, cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis, et terras et homines plures in eadem villa. Concedo preterea et confirmo eisdem monachis quicquid eis venditum fuerit vel donatum, et volo ut eis liceat omnes res suas et redditus quos habent vel habituri sunt in tota terra mea emendare et ad crescere sine contradictione et reclamatione mei vel meorum heredum, sicut sibi melius viderint expedire. Hec autem suprascripta omnia concedo et confirmo sepepredictis abbati et monachis in perpetuam, liberam et quietam elemosinam ab omni terreno servitio, et ut ipsi et omnes homines in terris eorum manentes, vel qui temporibus futuris mansuri sunt, liberi sint et quieti ab omni terreno servitio, talliis, auxiliis, carragiis, corveis, muragiis, fossagiis, avenagiis, gardis, relevamentis, et omnibus aliis districtioibus et servitiis ad me et ad heredes meos pertinentibus. Teste Johanne, filio Hamerico de Logis ; Roberto de Feligne ; Radulfo de Doit ; Gilleberto Coco ; Gaufrido de Doit ; Hugone Lecofre, et aliis multis.